



Iesse sacrarum literarum cognitione suo tempore in magna autoritate apud Germanos extitit. Nam Nemetes, qui in eo loco Rheni habitabant, ubi postea Spirensis urbs ædificata, in Christiana religione instituit, atq; ob spem futuræ gloriæ in uarijs Barbarorum irruptionibus consolatus est. Cū etiam eo tempore Arriani suum dogma ubiq; spargerēt, ipse ijs fortiter restitit, atq; eorū errorē ex uerbo Dei confutauit, anno trecentesimo quinquagesimo. Itaq; postea etiam Synodo Coloniensi interfuit, quod Germani & Galliæ præfules contra Euphratem Arrianum celebrarant. Verūm eo mortuo Barbari eius ecclesiam iterum dissiparunt, ita

ut per trecentos ferē annos nullius eius loci præfulis mentio fiat. id quod etiā S. Panthalo Basiliensi Episcopo & eius Ecclesiæ contigit. Donec tandē Dagobertus Austrasiorum rex circa annum sexcentesimum trigessimum Episcopatum eius loci restaurarit. de quo suo loco copiosius dicemus. Anon. in Episc. Spir. Monst. lib. 3. German.